



Disciplinae Speculative generales à se invicem per abstractionem à materia
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singula etiam convenit Discipline:
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata
 et universaliter secundum rationem; Quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia
 eadem reserata sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reserata sunt et saltem
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,
 nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus est quem Metaphy-
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-
 plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K¹
 W⁷

iz JC

Signat!

~~SSI~~

16

DISPUTATIONUM
METAPHYSICARUM
DECIMA QUINTA,

De

SIMPLICI & COMPO-
SITO,

Itemq;

TOTO & PARTIBUS,

Quam

Simplicissimo ENTE dirigente

Sub PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII

Croppenstadiâ Halberstadenfis,

In

florētissimâ WITTEBERGENSIUM ACADEMIA

Placida disquisitioni subicit

JOHANNES BRANDIUS

Reinhardovillâ-NeoPalatinus.

Ad diem 27. Septembr. horis & loco

consuetis



WITTEBERGÆ

Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,

Acad. Typogr.

ANNO M DC XXIII.



DISPUTATION
METAPHYSICARUM
DECIMA QUINTA
DE
SIMPLICI & COMPO-
SITO
TOTO & PARTIBUS
Johannes
Simplicius in 5^{te} diligens
et 6^{ta} 1. d. 10.
M. JOHANNIS SCHARFII
Groppehaldia Halleschen
Wittensensium Academia
Philosophiae dissertatione subjecta
JOHANNES SCHARFIIUS
Alum. d. 17. April. 1710.
WITTEBERGAE
P. H. SCHNEIDERII
P. H. SCHNEIDERII
WITTEBERGAE





DISPUTATIONIS METAPHYSICÆ
DECIMÆ QUINTÆ

CONTINUATIO.

Uit *prima* Entis affectio mediata, nempe *Idem & Diversum*: jam in ordine venit dicendum de *Simplici & Composito*, itemq; de *Toto & Partibus*. Methodus facile constat. Nam etiam *Simplicis & Compositi* ratio fundatur *in Uno*, adeoq; Unitatem pro fundamento ponit, quatenus nimirum *unum est vel indivisum indivisibile & ita simplex* dicit; vel *indivisum* quidem actu, *divisibile* tamen potentia, quomodo fit *Unum compositum*. Combach. lib. *Metaph.* c. 23. Hinc compositum determinatur, quod sit *ἓν δι' ὁμοιω*, unum per alia. Simplicitas verò in re nihil aliud est, quam nomen maximæ Unitatis, ut etiam docet *Suarez disp. 4. Metaph. sect. 1. num. 11.* itemque *Dn. Scheibl. lib. 1. Metaph. cap. 5. tit. 1.* Et hæc ratione fit, ut *divisio Entis in simplex & Compositum* proprie, & per se sit referenda ad istas divisiones entis, quæ *secundum affectionem Unius* contingunt. Sic enim *Ens* disjunctim denominatur non nisi sub ratione Unitatis, quatenus quasi conjunctim sumitur cum Unitate adeò, ut *simplex & Compositum* sint proximæ differentia Unius.

Dehinc succedit doctrina *Totius & Partium*. Scilicet & hoc complexum Enti competit mediante unitate, uti per se notum est. *Quatenus Unum in se contrahere videtur multitudinem, dicitur Totum*, inquit *Excell. Dn. J. Mart. Part. Metaph. lib. 1. sect. 4. thes. 1.* Idem testantur omnes saniores *Metaphysici*, dum in doctrina Unius statim agunt de *Toto*. Insuper addunt *Combachius & Scheibl.* locis modò citatis, quod rationem compositionis insequatur *Totum & Pars*. Nobis hoc loco sufficit, quod è dictis *Totius & Partium ratio recte inferatur ad istas affectiones Entis, quæ mediante unitate ipsi conveniunt*. Sic ergò exinde methodus nostra manet rata. Itaque hac in disputatione dicemus de *Simplici & Composito*, ut & *Toto & de Partibus*. Sit cum Bono DEO

A e THE-

T H E S I S I.

Imprimis tenendum est, quod vox *Simplicis* sit ambigua. Nam primò apud *Oratores*, & in vulgari loquendi modo dicitur, simplex, qui est *ἀπλὸς λόγος καὶ ἀπλήρης*: ita Christus jubet suos esse simplices, sicut columbas, *Matth. 5. 2.* Simplex idem est ac *Imprudens*, ein *simpel Mensch*. 3. Summatim simplex appellatur id, quod *non est commistum cum aliquo adscititio*; sive id adscititium sit per modum accedentis artis ad naturam, vel etiam fuci alicujus, aliter vè: quò sensu vocatur simplex sensus, & simplex oratio.

II. Sed istæ acceptiones non sunt Philosophicæ. Aliter ergò sumendum erit *simplex*. *Etymologiam* ejus si spectes, dicitur *simplex*, quod sit quasi *sine plica plurium*, non fecus ac duplex vocatur id, in quo plicantur duo. Item triplex, in quo plicantur seu complicantur tria. Hinc *simplex est illud, quod non est cum pluribus complicatum rebus*. Et hæc acceptio est hujus fori.

III. Ita ergò definitur: *Simplex est, quod in plura resolvi nequit*: Vel ut *Combach. Metaph. c. 23.* ait: simplex est illud, quod non constat pluribus, in quæ resolvatur.

IV. Ubi observandum venit, quod simplex de formali importet *non resolvi posse in plura*, & quidem in ejusmodi plura, quæ sunt vel *essentialiter inferiora*, vel quæ, tanquam incompleta, *unum completum absolvunt*, & tandem *seorsim sumpta realiter ab eo, quod in ista resolvitur, differant*.

V. Simplex autem ita sumptum non uno modo se habet, sed vel *absolutè est simplex*, vel *comparatè*; illud est *omnis compositionis expers*.

VI. Et hoc absolutè simplex iterum est vel summè simplex, vel simpliciter simplex. *Summè simplex* est, quod neque compositum est, neque componibile. Tale est *Ens simplicissimum*, quod est *Unum Indivisum & Indivisibile*, ut est *solus DEUS*. Hic enim solus est expers omnis compositionis, & *Entis nobilitate* dicitur simplex & simplicissimus.

VII. Sim-

VII. *Simpliciter simplex est*, quod quidem in se non est compositum; potest tamen compositionem cum alio ingredi. Sic conceptus universalissimi sunt simplices, qui non habent conceptum quidditativum & qualificativum simul. Sic Ens & passiones Entis, itemq; Modi intrinseci dicuntur Entia simplicia, item punctum Mathematicum. Confer ea, quæ supra dicta sunt de Uno indiviso indivisibili.

II X. *Comparativè simplex*, quod per comparisonem ita dicitur, est, quod non excludit omnem compositionem, sed solum aliquem specialem compositionis gradum. *Combach. c. 23. Metaph.* ita describit: *Comparativè simplex est*, quod non requirit tot partes sui, quot requirit aliud. Sic angeli dicuntur simplices in comparatione ad corpora, eò quod illi non tot partes sui requirant, quam corpora. Sic etiam *elementa* dicuntur simplicia corpora respectu mixtorum.

IX. Inter ea, quæ per comparisonem simplicia dicuntur, *supremum simplicitatis obtinent gradum* ea, quæ non sunt composita ex re & re. Sic omnes *spiritus* sunt simplices; *angeli, anima rationalis, item omnis forma, materia prima, accidentia*; quatenus ratione *græciæ* dicuntur puri actus. Deinceps in simplicitatis ordine *succedunt, quæ non sunt mixta*, ut *Elementa*. Hæc enim licet in se sint composita, quippe corpora sunt & constant ex materia & forma; tamen in respectu ad illa, quæ majorem in se habent compositionem, utpote sunt mixta corpora, non immeritò dicuntur simplicia.

X. Aliàs simplex etiam dicitur, quod *omnino est Unum, nec ullo modo plura*; quomodo rursus *DEUS* est simplex. Deinde quod est impossibile alteri: Et sic simplices sunt *Individuæ substantiæ*.

XI. Cæterum attende, quod ex simplici descendat *Terminus Simpliciter & simplicitas*. *Simpliciter* acceptatur 1. *pro absolute & universaliter*. 2. *totaliter*. Sic dici potest, quod *cygnus sit simpliciter albus*. 3. *pro eo, quod est actu*, sive sit

Substantia, five accidens. Sic Sol simpliciter est. 4. *pro univo-*
cè & uno eodemq; modo. Sic genera simpliciter prædicantur
de speciebus in actu exercito: Ut homo est simpliciter ani-
mal. 5. *pro tantum & sine additamento.* Sic Ens reale est sim-
pliciter Ens. 6. *pro perfectissime.* Sic demonstratio *dion* est sim-
pliciter demonstratio. Excell. Dn. Jac. Martin. in prælect. Me-
taphys. lib. 1. c. 22. Summatim ita alii recensent *simpliciter*
significationes. Simpliciter 1. idem valet, ac sine addito. 2. idem
est, ac universaliter. 3. denotat *incontractum*, quomodo rem
aliquam simpliciter supponere dicimus. (ex P. Hispano & ejus
Interpretibus, Summulistis.) 4. significat *non multiplex.* Colo-
niens. in Porphy. fol. 15.

XII. *Simplicitas* uti constat est *terminus compositioni op-*
positus, non verò distinctioni: quippè *resultat ex uno.* Unum
verò potest in se esse indivisum, & divisum à quolibet alio.
Ergò etiam *simplex potest esse distinctum ab alio.* In uno funda-
ri possunt realiter distincta. Ergò etiam in simplici, eò quod
simplicitas non opponatur distinctioni. Non quidem ne-
gatur *unum esse latius simplici*, cum etiam compositum sit u-
num: interim nec hoc negari potest, quod *illud ipsum, quod de*
latiori conceptu participat, etiam de aliquo inferiore partici-
pet, scil. de illo, cui non opponitur. e.g. quod animal est, & op-
ponitur bruto, illud quoque homo est. Eodem modo & hîc
inferri potest. *In simplici sunt relationes, quæ non sunt realiter*
eadem. Ergò erunt *realiter distincta, & per consequens non erunt*
oppositæ distinctioni: nec simplex, cujus sunt istæ relationes, cum
distinctione pugnabit.

XIII. Ita ut simplex est oppositum composito, sic
universaliter *simplicitas opponitur compositioni*, quam ne-
gat. Quò ipso propter varietatem simplicitatis, & hoc inferri
potest, quod *particularim loquendo* simplicitas opponatur,
1. *Mixtioni.* 2. *Compositioni.* 3. *Compossibilitati.* 4. *Pluralitati,*
& 5. *non omnimoda Identitati.* Hoc ultimo tribuitur simpli-
citas D E O, non prioribus quatuor, uti vult Dn. Jac. Martin.

d. l.

d. l. Hæc de simplici, sequitur Compositum quod ipsi opponitur.

XIV. *Compositum* est, quod constat ex pluribus, adeoq; resolvi potest in plura. Ubi notetur, quod *Compositio* non denotet actum extrinsecum efficientis, sed intrinsecum, quo intrinsecè plura conjungantur in eo, quod est compositum.

XV. Varii autem dantur modi & gradus compositionis. Vel enim 1. compositio, fit ex materia & forma. 2. Vel partibus quantitativis, Vel 3. ex subjecto & accidente. 4. Vel ex natura & supposito. Vel 5. ex esse & essentia. Vel 6. genere & differentia: ex quibus ut compositi natura distinctè dijudicetur, ordine illos enumerabimus.

XVI. Primò maximè composita sunt, quæ ex materia & forma. Hæc enim compositio facit aliquod compositum tertium distinctum ab illis, è quibus componitur, idq; per se unum. Et sic omne corpus est compositum, uti notum est ex Phisicis.

XVII. Deinde ex partibus quantitativis composita sunt omnia quanta, partim è continuis, ut substantiæ extensæ, partim ex discretis, uti numerus conflatur ex unitate & unitate. Hic referuntur ea, quæ ex partibus integrantibus juxta analogiam dictis componuntur. Sic Philosophia dicitur composita ex theoretica & practica tanquam ex partibus intentionis, adeoque est totum integrum analogum.

XVIII. Tertio Compositio ex subjecto & accidente contingit in omni creato prout illud est præditum certis accidentibus, ab ipsius essentia realiter distinctis. Et hæc compositio facit Unum per accidens.

XIX. Quarto Compositio è natura & supposito (hoc est, ex natura & modo subsistendi) est, quæ essentia individua coarctatur per modum superadditum ad esse personæ, vel suppositi. Quæ compositio licet in omnibus suppositis etiam naturalibus deprehendatur, peculiari tamen & excellentissimo modo elucet in mysterio incarnationis, ubi due distincte nature ununtur in uno supposito, nempe divino.

XX. Ut

XX. Ut verò hanc Compositionis modum eò meliùs intelligas, observes; quod *NATURA* hic sit ipsa essentia alicujus rei singularis. Sed *SUPPOSITUM* sit modus rei individua, eam ultimò determinans & coarctans quasi ad esse suppositivitas aut personalitatis. Eleganter Combach. ait: Dicimus naturam secundum quod res est inesse definitionis: suppositum verò juxta quod res est sua ultima actualitate, quam subsistendi modum dicimus.

XXI. Observes etiam, quod saltem in rebus creatis (non in Ente Infinito, Deo,) natura & suppositum faciant compositionem ex eo, quod in creatis essentia ipsa realiter separari possit à personalitate sive suppositivitate, ita ut natura singularis sit indifferens ad essendum in supposito proprio & alieno. Sic natura falis etiam in aquæ supposito subsistit. Quia verò essentia divina nequit suppositari in alieno supposito, nec secundum se indifferens est ad subsistendum in supposito proprio & alieno, propterea, quia essentia divina nunquam fuit, nec esse potest in potentia ad adsumtionem in singularitatem alterius: idcirco locum invenit nullum in *DEI* essentia compositio ista, quæ aliàs in creaturis & finitis fit ex natura & supposito.

XXII. Quinto compositio ex *Esse* & *Essentia* dicitur nonnullis illa, quæ contingit ex diversitate essentia & existentia, prout non simpliciter idem sunt, sed quia illa compositio non est realis, sed saltem rationis, ideò melius dicitur, quod contingat compositio in rebus creatis tunc, quando intellectus noster non simpliciter facit identitatem inter existentiam & essentiam. Talis enim compositio cogitari potest in omni finito & creato, licet non in *DEO*. Quia enim *DEUS* est à seipso, ideò etiam hoc, quod est, & hoc, quo est, ipse est, & in se est, ita ut nulla plana compositio in *DEI* essentia fingi, aut pingi possit. Verùm reliqua *Entia infra & extra DEUM*, uti sunt ab alio, & quod sunt & quo sunt, ita etiam admittunt aliquam distinctionem essentia & existentia: cum illorum
essentia

essentia cogitari queat ut possibilis, licet actu non sit. Ita in illis quod sunt appellatur essentia, quo sunt dicitur existentia, licet in re plane non distinguantur. Confer Combach. lib. *Metaph. cap. 23.*

XXIII. Sexto Compositio ex genere & differentia est, juxta quam rem concipimus ut commune magis, & differens ab aliis. Et hæc compositio semper est ex determinabili & determinante, hoc est, ex conceptu latiore & æquali, scilicet ejusmodi latiore, qui immediate est contrahibilis per differentias oppositas conceptum illum latiore non includentes, sed restringentes. Qualis compositio datur in omni specie; estq; rationis, licet fundetur in reali compositione, quæ est vel ex materia & forma, ut in corporibus, vel ex actu & potentia, ut in spiritibus finitis. Sed in infinito Ente negatur.

XXIV. Et hi sunt ferè omnes compositionis modi. Datur quidem compositio ex actu & potentia, sed illa sese diffundit per omnes hosce recensitos, quatenus in iis aliquid notari potest, ut determinabile & determinans. Habet autem hæc compositio ex actu & potentia diversimodè in diversis datis compositionis modis. Nam in primo (quæ erat ex materia & forma) itemq; in tertio compositionis modo (quæ erat ex subjecto & accidente) differt potentia realiter ab actu, in reliquis vero ita, ut saltem ratione differant. Combach. d. l.

XXV. Hucusq; de simplici & Composito, sequitur Totum & Pars. Valdè hîc variant Auctores. Quidam autumant Totum esse ipsum Compositum, prout hoc opponitur partibus. Quam in rem ita loquitur Dn. Scheibl. Fuit de composito, ut opponitur simplici, sequitur de eodem, ut opponitur partibus, quò respectu TOTUM vocatur: lib. 1. *Metaph. c. 6. tb. 1.* Alii Totum referunt ad unum indivisum divisibile, ita ut hoc aliò, & quidem proprio nomine vocetur Totum. Alii ampliant terminum Totius, & etiam uni indivisibili adsignant. Quomodo & Deus est totus, sive totum quoddam. Est etiam

B

non

non ignobilis Metaphysicus, qui *membrum oppositum Totius constituit non partes, ut communiter solet fieri, sed MULTUM*, ita ut omne Ens adæquatè denominetur *vel Totum, vel Multum*. Sed de istis opinionibus nunc fari & disquirere fusius non licet.

XXVI. Nobis hac vice sufficit, quod *Totalitas & Partialitas rei oriantur ex unitate rei*, ita ut Ens mediante Uno denominetur Totum vel Pars (retineamus communem sententiam hucusq; à Metaphysicis ferè omnibus positam & propositam, quâ Pars fit Membrum Totius oppositum, non multum.) Deinde, quod *Totum non modò tribuatur Compositis, sed etiam simplicibus*, imò & summè simplici Enti, utpote DEO, qui est perfectissimè Ens Totum. Dicimus ergò omne Ens, quia Unum est, esse vel Totum vel Partem.

XXVII. Quod ipsum ut rectè intelligatur, nunc intimius natura *Totius & Partium* introspicenda venit. Inprimis evolvenda est *Vox Totius*, cum sit ambigua, uti patet ex *Aristot. 4. Metaphys. c. 25. 26.* Primò *Totum* speciatim sumitur ad significanda *ea solùm, quorum positio differentiam facit*. Quo sensu dicit *Arist. d. l. c. 26. Ea, quorum positio partium non facit differentiam, dicuntur OMNE; quorum autem facit, dicuntur TOTUM, quibus verò utrumq; accidit, in iis & TOTUM & OMNE usurpatur*. Sic in rebus liquidis, iisque quæ concavis mensuris mensurantur, qualia sunt aqua, oleum, cinis, frumentum, adhibenda est vox *omnis*, non *Totius*. Confer Arist. ibid. Hæc acceptio Totius nimis angusta est, & potius est ad Græcorum consuetudinem quàm ad Latinorum, ut observavit *Fonseca 5. Metaph. c. 26.*

XXVIII. Deinde Totum sumitur pro *perfecto*, sic *Arist. 3. Phys. c. 6. t. 64. ait: Totum & Perfectum aut idem penitus, aut proxima natura sunt*. Sic *DEUS TOTUS* dicitur. Sic *Anima tota* dicitur esse *in quavis parte corporis, tota, inquam, totalitate essentia, & perfectionum suarum*, ut declarat *Zabarella*

Barckia de part. anim. c. i. Tertio Totum sumitur latius pro
omni eo, quod distribui potest. Qua ratione omnia dici pos-
sunt Totum & Pars, ex quibus distributio fieri potest, utpote
ex causis, effectis, subjectis, adjunctis &c. sic quando dici-
tur homo est vel bonus vel malus; ibi homo (subjectum bo-
nitatis & malitiæ) est aliquo modo totum. Vide Scheibl.
d. i. Quarto angustè sumitur Totum pro toto essentiali &
integrali, quo sensu contradistinguitur generi. Sic Logici
alium locum argumentandi habent à Toto & Partibus: alium
à genere, specie. Sic partes dicuntur priores Toto.

XXIX. Hic verò totum sumitur in communi pro Ente
eo, quod præscindit à Toto perfectionis, à Toto essentiali,
integrali, potestativo, Universalis, quodq; rursus dividitur
in istos Totius modos.

XXX. Multi multùm laborant de communi Totius de-
scriptione: quomodo scilicet Totum, prout hõc locõ sumi-
tur in communi, definiri debeat. Sed frustra videntur labo-
rare. Tanta enim est analogia totius, ut generalem descri-
ptionem haut admittat. Meritò docet Excell. Dn. Jac. Mart.
lib. i. Metaph. c. 22. Totum & Pars, quia non uno, sed variis
modis sumitur, uno generali modo vix describetur.

XXXI. Quod si omninò generalis danda est descriptio
Totius, forte ita dici poterit: Totum est, cui nihil deest eo-
rum, ex quibus totum natura dicitur, & quod continet con-
tenta, ut unum quid illa sint. Aristotel. lib. 4. Metaphys.
cap. 26. Illa Vulgaris enim, quã Totum definitur id, quod ha-
bet partes, non est de toto ut sic, sed de tali, in particula-
ri sumto.

XXXII. Modos autem sive species Totius quinque
potissimùm recensent. Nam Totum est vel i. Perfectio-
nis, 2. Essentiale, 3. Integrale, 4. Potestativum, vel 5. Uni-
versale. De quibus prolixè & accuratè agunt Dn. Jac. Mart.
in Exerc. & part. Metaphys. Combach. lib. Metaph. cap. 24.

Barthol. in Enchirid. Metaph. part. 1. c. 2. Nos breviter de illis, cum res sit facilis & passim obvia.

XXXIII. *Totum perfectionale* est, & ita dicitur ob summam actualitatem omnium perfectionum, quæ quasi continent, & constituunt aliquam totalitatem. Sic DEUS dicitur *totus*, sed *totalitate perfectionis*, quod sit *Ens perfectissimum*, & obtineat complementum omnium perfectionum. Et hoc analogicè dicitur *Totum*. Combach. d. 1.

XXXIV. *Totum Essentiale* est, quod constat ex partibus essentiam intrinsecè constituentibus. Sic omne corpus est *totum essentiale*, quatenus constituitur ex materia & forma. Sic & angelus dicitur *essentiale Totum*, quatenus constat ex actu & potentia tanquam ex partibus essentiam angeli constituentibus. Huc etiam refertur *totum ex genere & differentia* connatum, juxta Arist. 7. Metaph. 1. 42. scilicet quatenus absolute spectatur *Universale*, non verò quatenus respective. Combach. ibidem.

XXXV. *Totum Integrale* est, quod constat ex partibus quantitativis, quæ in toto ununtur per modum continuitatis, non per modum actus & potentia. Sic homo est *totum integrale*, quatenus constat ex capite, brachiis, ventre, pedibus &c.

XXXVI. *Totum potestativum* est, quod continet plures potentias, scilicet facultates certo modo unitas. Sic anima est *totum*. Licet enim illa in se sit omninò simplex, quia tamen plures operationes edit, ratione quarum in ea facultates tanquam partes plures notare possamus, inde multipliciter aeternam aliquam de facultatum principio communi concipimus, ejusque potestates plures simul cum ipso principio collectas, totum hoc, quod potestativum dicitur, constituere dicimus.

XXXVII. *Totum Universale* est unum quoddam ad multa pertinens. Sed hoc nihil aliud est quàm ipsum universale, de quo in sequenti disput. dicetur fusiùs.

XXXIIX.

XXXIX. Deniq; ut Totius natura est varia, sic etiam partium modi dantur varii. Et quidem Toti perfectionali proprie nulla respondent partes: quia illius totalitas in se redit, & omni caret parte. Potestativo Toti respondent facultates, quæ analogicè dicuntur partes potestativa. Toti essentiali respondent essentielles partes, quæ sunt ipsa principia intrinseca esse Totius constituentia. Toti integrali respondent partes integrantes, quæ quidem in inanimatis sunt similes, sed in animatis modo similes, & homogeneæ, quæ nomen & definitionem Totius participant, modò dissimiles, quæ diversum habent nomen à toto. Et tandem toti Universalis respondent partes subjectiva, quæ sunt inferiora: nempe generi subjiciuntur species ceu partes ejus, & species subjiciuntur individua.

Usus & Abusus.

In Philosophia hujus disputationis usus valdè insignis & perspicuus est, uti cuivis facile patescit, modò attenderit gradus Compositionis & simplicitatis, itemq; distinctiones Totius & Partium, quæ hic distinctè enucleantur. Nunc brevitas ergò saltem monebimus quædam de usu presentis doctrinæ in Theologiâ. Et primò quidem elucescet ejus usus in iis, quæ disputantur de Dei simplicitate. Sunt, qui Deo compositionem affingere non erubescunt: Sed quàm enormiter aberrant & peccent, vel ex hac disputatione constabit. Siquidem NULLA PLANE SPECIES COMPOSITIONIS DEO ATTRIBUI POTEST. Vorstius in tractatu quodam de DEO p. 209. putat in DEO esse compositionem ex subjecto & accidente, propterea quod multa & varia in DEO sint decreta, quæ non possint esse substantia, cum hæc sit unica & simplex: Esse igitur in DEO tanquam subjecto aut tanquam actiones in agente. Verùm inepta & absurditatis plena est illa opinio Vorstii. Inepta est: quia argumentatur à conditione,

decretorum humanorum ad decreta DEI, quæ confusio peccat
in distinctas Entium distinctorum classes Logicas. Atten-
dere debuisset, quod decreta DEI non univocè se habeant
& eodem modò, ut humana, sed analogicè, ita ut *per re-*
motionem omnis imperfectionis vox decreti tribuenda sit Deo.
Absurda est: quia facit in DEO Ens per accidens, uti è thesi-
bus constabit. Sciat Vorstius, quod *decreta DEI* confide-
rentur vel *ratione objectorum externorum*, ad quæ liberè ter-
minantur, vel uti sunt *actus voluntatis divina*. Priori modò,
quatenus per habitudinem ad aliquod extrinsecum decla-
rantur, possunt fortè dici multa, varia & diversa, quò sensu
& DEUS dicitur multa posse. Quò ipsò tamen nulla infer-
tur compositio, sed manet simplicissima DEI essentia in se
una & eadem. *Posteriori modò* non item, sed ita *unus actus*
est decretorum divinorum. Non enim aliò voluntatis actu
decrevit DEUS mundum creare, & aliò homines quosdam
eligere ad vitam æternam &c. sed hïc omninò simplex, unus
idemq; actus est, quò DEUS hæc omnia decrevit. Patet
hoc exemplo scientiæ divina. Non enim multæ sunt scien-
tiæ, hoc est, multi actus intelligendi in Deo, licet multæ
& diversæ sint res scibiles, sed uno & simplici actu intelligit
omnia. Porro iste *actus intelligendi, & volendi in Deo nihil*
aliud est, quàm ipsa essentia DEI per modum actus vitalis si-
gnificata. Scilicet DEUS immediatè *per suam substantiam*
intelligit, vel decernit. Hoc enim omnes orthodoxi docent
Theologi. Neq; verò putandum est, ac si Deus more homi-
num in se producat actiones, quæ sint accidentia ab essentia
ipsius distincta; non ita, sed *in tempore solum accidit exter-*
na denominatio & respectus rationis, quò *substantia DEI per*
modum intelligentis, & decernentis refertur ad creaturas,
ut docet D. Grauerus cent. 1. illust. quæst. Theol. q. 9. disp. 1.
Confer Suarez. tom. 2. disput. 30. sect. 9. Dn. Scheibl, lib. 2.
Metaph. c. 3. art. 2. punct. 6. p. 175. Apparet ergò, quod Deo
nequa-

nequaquam conveniat ob secreta accidentalis illa com-
positio. Porro Photiniani somniant simplicitatem DEI tol-
li per personarum Trinitatem. Sed & hi turpiter aberrant,
uti constare poterit ex thesi 12. itemq; ex thesi 21. Et rectè
Dn. Scheibl. ex Lycheto in Comment. ad scot. part. 1. d. 2.
q. 4. docet his verbis: *Persona divina est summè simplex &*
nullò modo composita, tum quia ibi proprietas transit in PER-
FECTAM IDENTITATEM REALEM ESSENTIÆ DI-
VINÆ: tum quia essentia divina ex se est simpliciter in ULTI-
MA ACTUALITATE. Plura vide sis apud Suarez. disput.
Metaphys. 30. sect. 4. Dehinc illam monstruosam opinionem
ejicimus, quæ statuit DEUM esse speciem, adeoq; compositio-
nem ex genere & differentia in Deo ponit. Etenim ita singu-
laris est DEUS noster gloriosus, ut maximè illi repugnet
Universale. *Implicat enim contradictionem DEUM multipli-*
cari posse. E. & species Deo repugnat. Cæterum si progre-
di liceret ad usus Totius & Partium condignè censendos,
immensa quasi excreveret seges. Quis enim ignorat, quàm
multifaria agitentur quæsitæ de Totius & Partium conditio-
nibus & consecutionibus, etiam in Theologorum Scholis.
Disceptatur cum Pontificiis, *An pars esse possit genus Totius?*
Cujus negativa prorsus confutat opinionem Bellarmini, qui
tom. 3. lib. 1. de sacram. c. 11. definit sacramentum, quod sit res
sensibus subjecta &c. Ubi in confesso est, quod visibile ele-
mentum saltem sit una pars Sacramenti. E. nequit esse verum
genus sacramenti. Similiter exinde corrui Calvinianorum
opinio de Sacramentis, qui hoc definiunt per signum, quod
etiam saltem partem materiale exprimit, rem nempe ter-
restrem notat, quod signum est rei celestis (*σημα πικρόν* puta
in V. T. sed *σέρον φερόμενον καὶ μετὰ δόκησιν* in N. T.) Discepta-
tur cum Calvinianis, *an totum realiter differat à partibus si-*
mul sumptis? An pars essentia sit pars essentialis? An aliquid
possit dici de Toto, quod partibus non conveniat? An à toto
ad partes valeat consequentia? & quæ sunt alià similia.

De

De quibus sanè nemo rectè & fundamentaliter judicare potest, nisi hîc in doctrina Totius & Partium accuratiùs informetur, & distinctiones Totius partiumve cautiùs observet. Obiter vide in Logicis quantum intersit distingere inter *OMNIA & TOTUM*. Rectè dico, *Tota anima est in digito quovis*, sed non benè dicas: *Omnis anima inest digito cuivis*. Sic rectè dico: *Tota essentia divina est pater*, sed an ita: *Omnis essentia Dei est pater*? Satis ergò exinde liquet, quantum commoder, & quantam utilitatem secum afferat genuina explicatio, distinctaque tractatio Totius & Partium. Nolo pluribus huic rei immorari. *Abusus* etiam ex se innotescet è dictis, ubi in datis quæsitis variè *detorquentur & depravant adversarii conditiones Totius & Partium*: potissimum, *confundendo distinctiones, maleq; applicando*, uti ex disput. praxi satis superq; manifestum est. Pessimus verò abusus est, quando *simplex opponitur Distincto*, cum tamen opponatur Composito & Confuso. Egregium se hîc præstat Schilling. *ille omnis sapientia osor in conc. 3. Metaph.* Multa blaterat suò more, ac si hæc doctrina Metaphysicorum oppugnet Trinitatem personarum. *Sin excipis*, ait, *essentiam esse communem tribus personis, simplicitatem Metaphysicam destruis. Nonne enim persona sunt reale quid ab eterno existens? si ita & realiter distinguantur, quomodo simplicitas per unam ideam simplicissimam Metaphysicè formatam salvari poterit?* Sic ille ex crassa ignorantia terminorum. Quasi verò communitas essentiæ tollat simplicitatem: quasi in una essentiæ & simplicissima, communicabili tamen, non possint subsistere diversæ personæ & relationes subsistentes. An nescit Schillingius, quod *personæ Divinitatis non distinguantur realiter ab essentiæ, sed inter se saltem, ita, UT PER REALEM IDENTITATEM CONVENIANT ESSENTIÆ DIVINÆ*? De quo fusiùs Theologi. Nos scimus, quod simplicitas, *prout explicatur à Metaphysicis sanioribus*, nequaquam oppu-

oppugnet articulum de Trinitate personarum, uti manifestum est ex iis, quae jam modo contra Hereticos Photinianos disputavimus. Sipienti satis.

A X I O M A T A.

1. *Simplicitas est summus Unitatis gradus.* Nam primò dicit Entitatem ipsam cum negatione indivisionis in se. Deinde verò significat non quamvis indivisionem entis, sed *indivisibilitatem*, hoc est, talem indivisionem, quâ unum non possit ullò modò deinceps dividi in multa. Hinc *in simplici sublimior est unitas, quam in composito.* Licet enim compositum sit indivisum in se, non tamen est indivisibile, sed potestate multum est: secus verò se res habet in simplici. Hoc enim de se, *quatenus simplex est, nequit resolvi in plura.* E. etiam nequit dividi.

2. *Simplicia precedunt naturam Compositorum.* Simpl. in 1. de cælo tex. 12. item: *Simplicia compositis priora.* Mag. in prior. item *simplicia Compositis naturâ priora sunt.* Boet. in præ. t. 12.

3. *Simplicius quanto magis aliquid est, tanto ex paucioribus constat.* Alex. de ales. in 1. Metaph. text. 1.

4. *Simplex, quod est, caret potentiâ; & quod caret potentiâ, simplex est.* Averr. in 8. Phys. text. 78. Intellige potentiam passivam sive potentialitatem, itemq; *simplex absolute & simpliciter ita dictum.* Non verò de quovis simplici, *ut in dicto, loquitur axioma.*

5. *Quo quid est simplicius, eò est præstantius.* Rectè enim Scotus in 1. dist. 8. q. 1. & qui eum sequitur Soncin. lib. 4. Metaph. q. 14. docet. *Simplicitatem esse perfectionem simpliciter,* annotante Suarezio disp. Metaph. 30. lect. 3. Observandum verò, quod axioma valeat in genere Entis, non in genere corporum, vel ut clarius loquar, *simplicitas absolute dicit perfectionem majorem atq; præstantiam, sed non in particularibus omnibus rerum generibus id, quod est simplicius: statim*
C NB
est no-

*est nobilius aut prestantius, ut patet ex corporum conditio-
ne. Simile quid est in aliis. Rectè dicitur, quod Immuta-
bilitas sit absolute nobilior & perfectior mutabilitate: sed in
iis, quæ non sunt simpliciter immutabilia, postea contrari-
um obtinet, nempe nobilioris naturæ est esse mobile, quàm
esse immobile. Confer Suarez disp. Metaph. 30. sect. 4. n. 3.
Scal. Exerc. 140. sect. 1. Scheibl. in Top. c. 22. n. 56. Et lib. 1. Me-
taphys. cap. 5.*

6. *Quæ sub D.E.O sunt, suo modo composita sunt. Scalig.
Exerc. 359. sect. 1. Quia sunt aliquò modo actus impuri, cum
solus D.E.U.S sit actus purissimus, & verè simplex.*

7. *Compositio est nomen multiplicis imperfectionis. Nam 1.
importat potentiam passivam. Nam si utrumq; componen-
tium esset actus, tum inde non consurgeret Ens per se, sed
per aggregationem. Hoc autem aliunde imperfectum est,
quia deficit ab unitate. 2. infert dependentem perfectionem.
Omne enim compositum dependet tum intrinsecè à parti-
bus componentibus, tum effectivè ab alio, quod extrinse-
cus uniat partes componentes, tum deniq; una pars depen-
det ab alia essentialiter. Hinc 3. Imperfectio compositi est,
quod non possit esse Ens primum.*

8. *Corpora naturalia, quò sunt compositiora, eò sunt perfe-
ctiora. Gerard. de mont. ex Thom. de Ente & Ess. fol. 4. scili-
cet. multitudine formarum magis magisq; recedunt à simpli-
citate materiæ primæ, & sic multiplicando formas multipli-
cant perfectiones.*

9. *Totum est majus qualibet sua parte. Zabarella 1. post.
Analyticorum hoc fide dignum esse perhibet. Scilicet to-
tum majus est & mole, & perfectione, & facultatibus.*

10. *Absurdà planè ratione toti attribuitur, quod nullius est
partis. Quia totum ex partibus constat, & nihil aliud est,
quàm partes omnes simul sumatæ. Quanquam alia prædicata
toti formaliter & universaliter sumto ob unionem partium
conveniant, quæ parti nulli seorsim possint attribui.*

II. Po-

11. *Posito toto necesse est poni omnes partes: scilicet eas, quæ totum constituunt, & toti correspondentes.*

12. *Ubiq; Totum est; ibi necessario etiam sunt omnes ejus partes.* Ratio, quia partes ut partes, semper manent unitæ cum toto. Adde, quod partes cum toto locentur. Ergo extra totum non ponuntur. Ergo in toto, uti sunt, sic etiam cum toto occupant unum locum, si totum est in loco.

Q U Æ S T I O N E S.

I. *An omne creatum sit suo modo Compositum?*

Ita constat e thesibus. Et ipsa vox *Creati* compositionem quandam infert. Quia enim creatum esse dicitur, necessario & essentialiter dependebit ab alio, à quo esse suum per creationem recepit. Et sic constabit ex possibilitate recipiente, & ex actu recepto. Hinc in omni finito & creato Essentia & existentia faciunt compositionem aliquam. Nam ad essentiam creaturæ non pertinet essentialiter, ut actu sit: sed quia finitum ens est, indifferens est, an sit actu, an vero potestate. Unde sic in creatura apprehendimus 1. *Essentiam* ejus, quæ indifferenter se habet ad actum & potentiam. 2. *Existentiam*, per quam quasi constringitur ejus indifferens Entitas ad esse actuale. Quo fit, ut ita duo ista faciant compositionem aliquam in omni finito. Scheibl. lib. 1. Metaph. c. 5. Rectè monet Suarez disp. 31. sect. 13. n. 35. *Dicendum est de ratione creati in re ipsa existentis esse compositionem rationis, seu potius fundamentum ejus. Hoc enim modo compositio ex esse & essentia est de ratione entis creati, ut probat ipse d. l. n. 9.* Rursus (pergit) dicens, non est nullum esse *Ens creatum*, quod (prout re ipsa existit) non includat compositionem aliquam realem ex natura rei loquendo: (puta ex modis realibus) scilicet vel ex natura & supposito, vel ex subjecto & accidente, vel ex esse & dependentia, subsistentia, inhærentia &c. Vide Suarez hac de re fusius disputantem ibidem.

II. *An Compositio ex Esse & Essentia sit realis?*

Negatur: quia *esse sive existentia & Essentia non differunt realiter*, neq; modaliter; sed saltem ratione. E. neq; compositionem efficienti realem. E. saltem rationis erit compositio, quæ fit in creatis rebus *ex esse* (hoc est existentia. Ut enim Infinitivi solent actus suorum verborum significare; ita etiam *Esse* significat actuale esse sive existentiam) & *essentia*: ubi intellectus apprehendit plura in aliquo, quæ tamen reverà unum sunt. Interim habet fundamentum reale, quod non est aliud, nisi quia *creatura non habet ex se actu existere, sed tantum est ens potentiale, quod ab alio potest esse participare*. Nam hinc fit, ut *essentia creature concipiatur à nobis, ut potentiale quid: ESSE* verò, ut *modus seu actus, quo talis essentia in actu constituitur*. Suarcz. disp. Met. 31. sect. 13. Excell. Dn. Jac. Mart. lib. 2. part. Metaph. sect. 3. qu. 14. Dn. Scheibl. lib. 1. Met. c. 5. n. 13. Combach. lib. 4. Phys. c. 1. comm. 5. & c.

III. *An partes simul sumptæ differant à Toto?*

Distinctè dicimus. 1. *Partes simul sumptæ non differunt à toto essentialiter, neq; realiter*. Etenim nihil planè est totum in sua essentia præter partes. Quid enim est homo sine anima & corpore? Sanè Nihil. Et tota Totius realitas in partium realitate consistit. Plura vide in part. Metaphys. Dn. Jac. Mart. lib. 1. sect. 4. quæst. 1. Dico 2. *Partes simul sumptæ à Toto distinguuntur solò modò*: ita nimirum ut Totum dicat omnes partes sine distinctione; partes autem omnes simul sumptæ dicant totum cum distinctione. Et rursus totum dicit partes sumptas in unione; partes verò simul sumptæ dicunt totum in pluralitate. Plures enim partes constituunt unum Totum, & unum totum continet multas partes. Quo observato corrueunt omnia sophismata, quæ inde nectunt adversarii pro reali distinctione totius & partium, adstruendâ. Confer Dn. Jac. Mart. in prælection.

Antikeck. p. 282.

F I N I S.


AB: 67 $\frac{5}{c, 10}$

ULB Halle
003 357 104

3







16

IONNM
ICARUM
QUINTA,

COMPO-
O,

ARTIBUS,

TE dirigente
S P D I O

SCHARFII
alberstadensis,

ENSIUM ACADEMIA
oni subicit
RANDIUS
leoPalatinus.

br. boris & loco

E R G Æ
STIANI THAM,
pogr.

C XXIII.

Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black